



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XVI. Continuatur eadem materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

cum illud (potuit & debuit scire) vix
habere debet, non poterit statui, qui-
do inconsideratio à peccato excuset,
& quando non? sed relinquetur res
planè inexplicabilis, & mille obnoxia
scrupulis, ut bene advertit *Burgob.*
centur. 1. cas. conscient.

V. Quæ ergo doctrina statuenda est,
pro universali regula de advertentia ad
peccatum?

S. Placet illa, quam lego apud *Arriag.*
tom. 3. D. 17. Sect. 2. n. 6. ità scribentem:
si intellectus dum peccat, malitiam ac pro-
hibitionem rei nec cognoscit, nec de ea du-
bitat, nec reflexè advertit se teneri ad in-
quirendum aut dubitandum, num res illa
mala ac prohibita sit? non potest ullum
incurrere peccatum.

QUÆSTIO XVI.

Continuatur eadem materia.

Vicar. **D**ixerat item suprâ Pœniten-
tem se accusare debere de
peccatis non confessis, ex quo con-
clu-

cludo peccata, quorum confitens oblitus est, postquam in memoriam redeunt, necessariò esse confitenda?

S. Optimè, siquidem inter propositiones ab Alexandro VII. damnatas Anno 1665. rejicitur etiam hæc: *peccata in Confessione ommissa seu oblita ob instans periculum vite, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere: & numquid Sac. Conc. Trid. præcipit omnia peccata, quæ memoria occurrunt esse confitenda?*

V. Etiam citat: Concil. dicit: *reliqua verò peccata, qua diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, igitur peccata oblita non necessariò erunt explicanda in sequenti confessione, licet in memoriam redeant, quandoquidem peccata illa jam fuerunt in priori confessione inclusa & remissa.*

S. Concedo peccata oblita fuisse implicitè inclusa, & in priori confessione remissa, sed *indirectè tantum ratione*

K

ne

ne voti seu propositi ea confitendi *explicitè*, & petendi *directè*, eorum remissionem, postquam memoriae occurrerint, quare nisi *directè* remittantur, non cessat obligatio illa confitendi?

U. Ergo homini confitenti, sed aliquorum peccatorum oblito, remittuntur ejusmodi peccata propter votum ea confitendi *explicitè*, postquam memoriae occurrerint?

S. Ità est: sicut etiam homini perfecte contrito remittuntur peccata propter votum ea confitendi datà opportunitate, & habità copiâ Confessarij.

U. Sit tanquam certum talia peccata remitti cum onere ea explicandi postquam in memoriam redierint, recorder adhuc te dixisse, Confessarium debere diligenter inquirere & peccatoris & peccati circumstantias, quod non videtur posse subsistere, cum doceatur communiter Confessarium non teneri examinare Pœnitentem.

S. Ad.

S. Adverto bene, quod Confessarius non teneatur examinare Pœnitentem *per se loquendo*, *per accidens* tamen obligatur interrogare Pœnitentem, quando nimirum videt ignorantiam laborare, & non integrè confiteri ea, quæ explicare tenetur, aut probabiliter de hoc suspicatur, ut videri potest in *cit. cap. omnis &c. de Penit.* quod si advertat Pœnitentem esse congruè dispositum, & integrè confiteri, non debet de aliquo interrogare. Ità lego in *Navar. de Penit. D. 5. in cap. Fratres, Soto lect. 10. de Confess. Angelo v. interrogaciones. Sylvestro v. confessio, n. 17. Suario D. 32. de Penit. Sect. 3, n. 3.*

U. Ex dictis tuis colligo hanc obligationem interrogandi non provenire ex natura iudicij exercendi, sed ab extrinseco ratione qualitatis Pœnitentis, & fundari in lege charitatis obligante ad succurrendum ignorantibus, & errantibus. S. Ità sanè: patens namq; est iudicium pœnitentiale esse diversum in modo

K 2

præ-

præfertim procedendi à iudicijs criminalibus.

U. Quomodo autem agendum existimas cum infirmo, præfertim constituto in periculo mortis?

S. Judico Confessarium ità se gerere debere in interrogando, ut non generet fastidium Pœnitenti, adeoq; adhibere illas interrogationes duntaxat, quæ purè sunt necessariae, ad hoc, ut confessio integra sit, quando Pœnitens est in tali statu, ut possit integrè confiteri, cum enim infirmus gravetur morbo, facilè gravabitur etiam interrogationibus Confessarij, si nimia forent.

U. Ergo poterit omittere interrogationes de circumstantijs, quæ non mutant speciem?

S. Omninò: cum opinio probabilissima, & tuta sit, non esse necessariò explicandas in Confessione, præterquam quòd ratione charitatis debeat Confessarius sequi hanc opinionem, præ-

ser-

fertim quando aliàs est futura longa confessio, ità ut circa circumstantias aggravantes essent plures interrogaciones instituendæ.

U. Sed quid si Confessarius nollet sequi hanc opinionem?

S. Judico, quòd adhuc supersedere poterit ut plurimùm ab interrogando de his circumstantijs, nam admisâ opinione, quòd circumstantiæ aggravantes intrà eandem speciem sint explicandæ de necessitate, adhuc tamen explicandæ non sunt nisi notabiliter aggravent, rarò autem contingit, quòd hæ circumstantiæ notabiliter aggravent, præsertim in aliquibus speciebus peccatorum, & ideò ut plurimùm non erunt curandæ à Confessario. vid. Cajet. tom. 1. Tract. 5. de confess. Q. 3. Sol. dist. 18. Q. 2. art. 4. conclus. 7.

U. Occasione dictorum quæro: an etiam Confessarius ob tarditatem in loquendo infirmi, possit ipsum interrogare celeriter de verosimilibus, & sta-

K 3 tima

tim annuentem vel negantem absolute?

S. Si periculum sit infectionis, ut peccatis tempore, hic modus à Confessario adhiberi potest, tunc enim integritas materialis confessionis ratione circumstantiarum fit moraliter impossibilis, aut saltè valdè difficilis.

V. Nonè etiam hunc extra casum Confessarij uti solent hoc modo, non expectantes quandoq; expressionem peccatorum imediatè à Pœnitente, verum ipsimet suppleant per interrogationes, ut celerius se expediant?

S. Qui ex aliqua rationabili causa utuntur hoc modo, bene faciunt, dum modò in termino interrogationũ quarant, an Pœnitenti præter ea, de quibus Confessarius interrogavit, occurrat aliud, quo ejus conscientia gravetur? hoc enim posse fieri patet ex eo, quia in tali casu non variaretur substantia confessionis, sed solum modus accidentalis; non variaretur inquam

sub.

substantia, quia Pœnitens explicaret totum id, quo ejus conscientia gravatur, quòd verò explicaret mediantibus interrogationibus Confessarij, varieret tantum modum accidentalem.

U. Apparet quòd illa pluralitas interrogationum aggravaret Pœnitentem, etiamsi Confessarius servaret verisimilitudinem in interrogando, ideoque non potest dici licita.

S. Existimo ego illas interrogationes fieri ad sublevandum Pœnitentem, & consequenter non inferre gravamen: nec occurrit aliquid, in quo gravaretur Pœnitens, siquidem illæ interrogationes ordinarentur solum ad id, quod explicare debet, & si peccata, de quibus interrogatur, non commisit, quàm facilis erit responsio negativa?

U. Quomodo autem te gereres circa Pœnitentem maximè constitutum in periculo mortis, usq; adeò rudem & incapacem, ut nesciat peccata, explicare præsertim quoad numerum?

S. Respondi ad multa alibi mihi proposita circa modum procedendi cum Pœnitentibus, & nunc dico si agendum esset cum Pœnitente tam rudi, qui nesciret explicare numerum delictorum mortalium, aut diceret numerum non verisimilem, aut non esset stabilis in numero quem explicaret, aut fortè annueret cuilibet numero proposito tam majori, quàm minori, & consequenter procederet prorsus casualiter, dico inquam Confessarium curare debere, ut Pœnitens in mortis periculo constitutus notificet statum suæ conscientia, & statum suæ vitæ, explicando quantum potest species peccatorum, frequentiam peccandi in hac vel illa specie, tempus elapsum ab ultima confessione, conversationes, peccandi occasiones, exercitia, inclinationes, texendo narrationem propriæ vitæ, ut tali peccato deveniatur in cognitionem illam, quæ moraliter possibilis est peccatorum commissorum,

rum, prout eruditè advertit Petrus Marchan. tom. 1. Tribun. Sacram. Tract. 4. Tit. 6. Q. 3. dub. 2. (& ad hæc etiam respicere debet Pœnitens sanus discutiendo, & examinando suam conscientiam)

U. Sed fieri posset, quòd sicut nescit explicare peccata, ita quoque nesciat enarrare occasionem peccandi, frequentiam, & alia hujusmodi.

S. Etiam si & hæc Pœnitens malè exponeret, videtur tamen circa hæc faciliùs cognoscibilia, & in memoriam revocabilia locutus magis probabiliter, ac proinde Confessarius procedere poterit meliori modo, & magis probabilem notitiam acquirere de statu conscientie Pœnitentis.

U. Adhuc aliquid proponendum occurrit, si quisquam Pœnitens à te peteret: an teneatur confiteri illud peccatum cujus oblitus fuit, si postmodum memoriæ occurrat, absq; dubio conformiter ad supra dicta respondebis

K f

af

affirmativè? si autem quærat: an postquam confessus est peccatum dubium, si postmodum cognoscat illud certò à se fuisse commissum, teneatur confiteri tanquam certum, quid dices?
 S. Lego apud Sanch. Dian. & alios ad confitendum teneri, quorum hæc est ratio: quia quilibet tenetur ità se accusare de peccato, prout illud est in sua conscientia, quare si peccatum, quod antea fuit in conscientia ut dubium, postea sit in conscientia ut certum, debet in sequenti confessione manifestari ut certum. Ego autem respondeo cum Vasq. & alijs gravibus Theologis non teneri, alioquin etiam ille, qui confessus fuisset aliquod peccatum ut certum, & postmodum deprehendisset illud esse dubium, teneretur denuò de illo se accusare ut dubio, quod nemo dicet: tenetur igitur quilibet ità se accusare de peccato, prout est in conscientia tunc, dum illud directè subjicit clavibus, non ve-

rò prout est in conscientia de novo post peractam confessionem ; & hæc doctrina, quam amplector potest confirmari hac ratione : sicut qui confiteretur se fornicatum fuisse *decies, plus minus*, hoc ipso quòd adjiceret *ly plus* dubitaret, annon fortè deliquerit undecies, vel duodecies, & consequenter sub dubio confiteretur undecimum vel duodecimum actum fornicationis, & tamen juxta graves Theologos non tenetur confiteri denuò undecimum peccatum fornicationis, licèt peractâ confessione certò cognoscat se illud commississe.

V. Tua dicta me movent ut tecum discurram de peccatis dubijs.

S. Fortè inquirere placet, an peccata dubia sint necessariò confitenda ?

V. Hoc ipsum est, quod nunc volo, formaturus alibi discursum de conscientia dubia.

S. Placeat proponere.

K 6

QUÆ.